

Ubi nota q̄ sine confessione nō potest hō ad cō
fortium sanctorum peruenire. quia indecens est
et vituperosum ubi omnia sunt munda illuc cum
sordibus appropinquare. nam talis vt fedator
mundicie cum rubore est a consortio aliorū ex-
cludendus. **S**piritualiter in curia celestis regis
omnes sunt munda. Nullus enim cum sordibus
ibi appropinquare audet seu morari. fedaret
enī loca purissima et mansiones amenas s̄s san-
cti in pulchritudine inhabitāt. de quib⁹ **Nume.**
xxiii. Quā pulchra tabernacula tua **Jacob.** In
de est q̄ statim excluditur et expellitur cū rubo-
re. **D**icit enim dominus per **Esa.** Recede a me
non appropinques mihi. quia immundus es.
Ideo primo debemus mundari ab omni sorde.
si cupimus in atrium glorie introire. **Figura** **Le**
uit. v. **Nume.** ix. ubi precepit dominus purifi-
cationem immundorum fieri in hunc modum. Qui
enim tangebatur rem immundam aut mortiferum
quid. vt iumenta vel hominem aut ferā occisā
immundus erat. **I**deo indigebat purificatione
et fiebat isto modo. quia offerebatur sacerdoti
agnus sine macula. duo pulli turturum aut co-
lubarum et similis a purissima de qua panis fie-
bat. de quo solus sacerdos pro illo die tñ ede-
bat. reseruari autem in crastinum non potuit si-
ne putredine. **M**oraliter autem tria sunt in hoc
mundo immunda quibus homo sordescit et ma-
culat i anima. s. concupiscentia carnis et oculorū
et supbia vite. **D**e concupiscentia carnis dicit **In**
no. de vi. hu. cōdi. li. ij. c. xxi. **D**extrema libidi-
nis turpitudine. que nō solum mentem effeminat
sed corpus eneruat. non solum maculat animā
sed fedat personam. **C**oncupiscentia vō oculorū
est res mortifera. quia auaricia suū possessore
occidit. **J**uxta illud **Aug.** in quodam sermone.
Auarus inquit anteq̄ fouetur seipsum perdit et
anteq̄ quicq̄ capit capit. **S**uperbia vero vite
dicitur fera pessima que occidit diabolū. et si
quis hunc tetigerit qui hac fera occisus est. scz
diabolū immundus erit. **Q**uivero immundos se
nouerint studeāt se p̄ p̄fessionē mūdare. **S**z no-
ta q̄ nō sordidat aīa nisi p̄ tactū. i. p̄ sensum rez
imūdarū. qz dicit **Aug.** in quodā libello. **C**ogi-
tatio aut̄ et tēptatio quātūcūqz turpis mētez nō
polluit si rō nō p̄sentit. **I**n purificatione aut̄ hui⁹
imūdicie debet offerri agn⁹ sine macula. s. xp̄us
q̄ ē agn⁹ tollēs pctā mūdi **Joh.** i. **E**t ē oblat⁹ in
cruce **Esa.** liij. ad purgandū immundiciā ipsoz
pctōz. deinde debet offerri par turturū. p̄ qd si
gnificat par oculorū gementiū. **Q**uia dicit **Gre**
go. sup̄ **Ezech.** omel. viij. **H**olocautū est bonū
opus qd lachryme pfundunt. **H**olocautū pin-
gue est qñ hoc quod bene agit corde humili per

lachrymas irrigat. **S**z querit ultimo simila pu-
rissima et rectissima de qua fiunt panes ad esum
sacerdotis tñ. qz ipse solus debet act⁹ p̄fessiois
meditari. et p̄ illo die tñ. i. p̄ hora seu tempe quo
peccator p̄fitect pctā sua. **C**ū enī p̄fessor illa me-
ditect vt cognoscat qd et quale impendat pctōi
vile remedium. **S**z vltra temp⁹ illud penit⁹ nō
reseruet. qz si hmoi panes in crastinū vellet re-
seruare sentiret illos in arca anime sue peccati
putredinem generasse.

¶ Dñica. xv. post trini. Sermo. f.

Emo potest du

Mobus dñis seruire. aut enī vnum odio
habebit et aliū diligit. aut vnū sustine
bit et alterū p̄temnet. **M**atth. vij. **C**ū enī hō cū
suo inimico pactū seu conuentionē neq̄t iuenire
nisi mediante gladio vel totalit̄ se suū sui hostis
tradere. poti⁹ se morti debet exponere se defen-
dendo q̄ sic viriliter se suū tradere inimico. de
hoc dicit **Tull.** de q̄stionib⁹ cū inq̄t. **T**emp⁹ et
necessitas postulat. decertādū ē manu et virib⁹.
mors fututis turpitudini ē antepōnēda. **N**am
occidi pulchri⁹ ē q̄ ignominiose viuendo fūire
Moralit̄ diabol⁹ ē inimic⁹ n̄r crudelissimus. de
quo ps̄. diē. dixit inimic⁹ p̄sequar et cōprehēdā
diuidā spolia et implebūt aīa mea. d̄ hoc diē **Aug.**
li. sol. c. xv. **N**ihil aliū desiderat nisi vt me p̄dat
inimic⁹ et occidat. **I**nsup illos q̄ sibi fūiūt pess-
ime tractat. **N**unq̄ aut̄ sibi fūientib⁹ requiē pre-
stat. **I**ux illud **Hiere.** xxi. **S**eruietis dijs q̄ non
dabūt vob̄ requiē. **I**ō diē **Greg.** in omel. **I**ni-
stū ē fūire diabolo q̄ nullo placat obsequio. **E**r-
go fideles poti⁹ se debēt morti exponere q̄ talē
seruitutē subire. qz fortit̄ dimicātes ipm poterit
superare facili⁹ diuina gratia coadiuti. **Figura**
Nume. xxi. ubi legit̄. **F**ilij israel venietes de egypto.
et euntes in terraz p̄missionis oportuit eos
necessario transire fines. **S**eon regis amorreo-
rum. ad quem filij israel missis legatis et datis p̄-
missionibus nihil tangi de p̄tinentibus ad ipsuz
Sed nec tantū aque guttas gustare de cisternis
suis. sed solum viam regiam gradientes nec de-
clinarent ad dextram nec ad sinistram non po-
tuerunt obtinere. nec **S**eon illis obtemperauit
vt sic permitteret eos transire. imo parato exer-
citu rex predictus amorreorum obuiam ascen-
dit filijs israel. ipsosqz capiens spoliare et oc-
cidere. **E**t videntes filij israel ascenderunt et
viriliter dimicantes victoriam obtinuerunt et
fugato rege atqz illius gente ciuitates eorum
combusserunt. **S**piritualiter rex **Rom** quī

Dñica xx. post trinita.

interpretat elat⁹ significat diabolum. **N**ā z ipe dicit rex superborū. z regnare dinoscit sup omnes filios supbie **Job. xli.** filij aut israel christi fideles sunt qui de egypto. id ē. de tenebris peccatorum exierunt. z p̄sentis vite illecebras in q̄bus regnare diabolus dicit necesse habent trāsire. **S**ed attende q̄ premittimus legatos cum promissionibus z iuramentis nihil de suis tangendi. quia in baptismo operibus eius totaliter abrenunciā⁹. vel ille qui p̄ paruulo respondet abrenunciatio fideliter gradiendo guttam culpe nequāq̄ tangere. **S**ed non est diabolus hoc pacto contentus. imo non sustinet vt vlti⁹ trāseamus. s; vult spolia cape z nos punire. **Q**uid ergo faciendum est nisi ascendere in asan. nec ipsum aliter vincem⁹. **A**san interpretat mādati īpletio. z denotat p̄fectā charitatē. nam p̄ illud omne preceptū adimpletur. **Q**uia quicquid latet aut patet in diuinis sermonibus obseruat q̄ cōmitantem tenet in moribus. **A**d illaz ḡ ei⁹ exercitum fugabimus z ipsius refugim⁹ dominuz quia deo seruire z diabolo non possumus vt dicunt verba euangelij. **N**emo pōt. zc. **I**n quibus tanguntur diuerse seruitutis executio impossibilis. **N**ociue sollicitudinis phibitio rationalis. **C**hristiane informationis eruditio probabilis. **N**emo potest duob⁹ dominis seruire. **C**irca qd̄ notandū **C**hr̄yf. dicit duos dominos eos q̄ cōtraria suis seruis iniungunt nō vtq̄s duo erunt sed vnus si vnum vellent. **S**ed quia diuersa volunt. ideo duo sunt quibus nemo potest simul digne seruire. z sunt illi multiplices. **P**rimi q̄ sunt contrarij sunt deus saluans z diabolus p̄demnans. his simul nemo potest fūire. **I**dcirco deo est dūtaxat seruiendū. **I**uxta illud **Matth. iij.** **D**ñm deū tuū adorabis. z illi soli seruiēs. z p̄s. **ij.** **S**eruite dño videlicet z non diabolo in timore. z exultate ei cū tremore. **E**t ad hoc seruitutz dei debent nos multa manuducere. **P**rimū nature inclinatio. ad quod enī aliqd̄ creat̄ ad hoc natura inclinatur. nam ignis creatus est vt sursum eleuet̄. ideo hunc actū statim exercet cū accendit̄. **M**oraliter homo creatus est ad deo seruiendū. vt. **s. patuit f. xvij. l. i.** **E**t hoc idem dicit maḡ li. de. vij. itineribus trinitatis. itinere. v. c. **ij.** q̄ rationalis creatura ad hoc creata ē vt operationes exerceat p̄prias. z p̄ hoc grā mediāte suū finem eternum z vltimū ad quē creata est p̄sequat̄. **P**ropter hunc enī vltimū finē creat⁹ est homo. z si opus suū ad quod factus est nō operetur. id est. si deo nō seruiat nō solū a vita eterna aut a suo fine excludet̄. sed a sua naturali perfectione priuat̄. id est eternaliter damnat̄. **N**aturalis enī industria nos cogit vt deo seruiam⁹.

Nāz sicut omnes creature ante nos create sunt vt nobis seruiant. ita nos a deo vt sibi seruiam⁹ sumus p̄ducti in esse. **I**deo dicit dñs **Esa. xliij.** **S**eruus meus es tu israel. s. iure creationis. **E**t **Judith ait. xvj.** **T**ibi seruiat omnis creatura. **S**ecundum est misericors liberatio. **D**icit enim **phus. ij. polij.** duplex est seruus. a natiuitate z captiuitate. **A** natiuitate nāq̄ quidā statim vt nascunt̄ serui efficiunt̄. vt qui de ancilla nascuntur z isti nō possunt cape hereditatem patris nisi fiant liberi ad **Gal. iij.** **N**on inquit apostolus filius erit heres ancille cum filio libere. **A** captiuitate quidam fiunt serui qui in bello capiuntur. **M**oraliter ergo intelligendo nos habuim⁹ duplicem seruitutem. **P**rima fuit peccati originalis qua nascunt̄ serui diaboli. z ab illa fuitute christus dñs noster liberauit nos in baptismo q̄ habet efficaciam ab eius passione. de quo dicit **Act. xj.** **F**acile ē in oculis dei subito honestare pauperem videlicet hominē de seruo nato ad trā facere seruum suum. **A**lia est seruitus a captiuitate qua diabolus nos cepit cum post baptismum ad maiore etatem puenimus. **Q**uia dicit magister li. iij. dist. iij. **E**ratiam operantem z cooperantem cunctis paruulis in baptismo dari ī munere in habitu non in vsu. vt cum ad maiore venerint etatem ex munere sortiant̄ vsu. s. actualement nisi per liberū arbitriū vsu muneris extinguunt peccando. **E**t ita ex culpa eorū ē z nō ex defectu gratie q̄ mali fiunt. quia ex dei munere valentes habere vsu bonum p̄ liberum arbitrium rennuerunt. z vsu prauum elegerunt. **H**ec magister. **E**t quia homines prauum vsu videlicet peccando elegerunt. ideo seruituti se demonis subdiderunt. **I**uxta illud **Job. viij.** **Q**ui facit peccatum seruus est peccati. **E**t bñs **Petrus in. ij. cano. c. ij.** idē testat̄. **A** quo quis quidem superatus est huius est z seruus. **S**ed quia homines superati sunt a concupiscentia oculorum z vitiorum fm glo. ergo. zc. **A**b hac seruitute christus nos misericorditer liberauit p̄ passionem suam z mortem. **D**e hoc **Aug⁹. in libro de baptismo. z allegat magister. iij. li. dist. xix. c. j.** vbi loquens de christo. **D**e obedientia inquit z iusticia mortem gustauit p̄ quā nos redemit a seruitute diaboli. **I**ncidebamus enim in principem huius seculi qui seduxit **A**dā z fecit fruz suum. cepitq̄ nos quasi vernaculos possidere. **S**ed venit redemptor z victus est deceptor. **E**t infra. **V**enit inquit ille. id est. christus. alligauit fortem. id est. diabolum vinculo passionis sue. ītrauit in domum eius. id est. in corda eorūz vbi habitauit z vasa eius scz nos eripuit. que ille īpleuerat amaritudine sua. i. peccatis. **D**e autē

noſter vafa eiꝰ cripiẽs ⁊ ſua faciens fudit amaritudinẽ pctõꝝ. ⁊ impleuit dulcedine. ſ. gratie p mortẽ ſuã a peccatis redimẽs ⁊ adoptionẽ filioꝝ largiẽs. hec **Aug.** Et ppter hãc miſericordẽ liberationẽ merito ei ſeruia. de hoc etiã **D** quere. ſ. ſermone. liiij. **T**ertium qđ nos debet manuducere ad ſeruitium dei eſt viciffitudinis recompensatio. Nam legitur de animalibus certis qđ ſibi ſeruiẽtibus fecerũt recõpenſam. ſicut pbat **pli.** in natu. hiſto. de pãthera qđ ſibi ſeruiẽti olim extitit grata. Nã qđã trãſiens p deſertum vidit catulos ſuos in foueam collapſos eduxit eos. ſed in hoc fecit ſibi ſeruitiũ. quẽ pãthera blandiens d̄ ſolitudine eduxit ⁊ recompensam fecit. Sic reſert **Petr⁹** damiani ⁊ **Vincen.** i ſpecu. hiſto. li. xxvj. qđ inſtitutores **Venetij** cuꝝ applicuiſſent viderunt leonem non pcul a litore trahi a dracone violentẽ in ſpeluncaꝝ. Qui repente huic ſpectaculo conuenerant audacter draconẽ inuadunt ⁊ occiderunt. ⁊ leonem liberauerunt. Qui nõ igratus extitit. ſed p aliquot dies eis ſeruiuit qđ illic morati ſunt. et quotidie pellem vnã animalis a ſe capti eis eduxit. Ad p̄ſens chriſtus igit nobis p longum tempus ſeruiuit. videlicet xxxiij. annis ⁊ dimidio ſicut dicit **Març. x.** ſi lius hois venit non vt ei miniſtrẽt ſed vt miniſtraret. Et **Luc. xxiij.** inquit. In medio veſtruz ſum ſicut qđ miniſtrat. Cauſa aut hui⁹ ſeruitij a xpo nob exhibiti fuit ppter pctã. De hoc **Eſa. xliij.** Seruire me feciſti in peccatis tuis. p̄buisti mihi laborẽ iniquitatibus tuis. Quãobrez non ſumus ingratiõres animalibus irrationabilibus. ſ. xpo qđ humiliãuit ſeipſum formã ſerui accipiens. ad **Phil. ij.** humiliter ſeruire debemus. vt dicat quilibet cuꝝ **Job. ix.** Si meipm tradam tibi nõ ero condignus puidẽtie tue. Quartũ eſt ppetua conregnatio. Securũ eni eſt vt dicit **Dol. ſup li.** **Sap. lccj. xxxiiij.** Fuiſſe illi dño qui in ppetuum regnabit. Seruiẽtib⁹ eni dominis mortalib⁹ ſunt i magno piculo quãdo dñi eoz moriunt nõ ſolũ ſeruitium eoz p̄dunt. imo qđ frequenter cõtingit qđ illos quos pater familiares habuit. filius magis habebit odioſos. ſicut hiſtozie tradunt multe ⁊ docent Sed ſic nõ eſt de deo. cui ſm **Breg.** ſeruire reguare eſt. Et qđ ipſe eſt immortalis. Iux illud **Sap. iij.** Regnabit dñs illoꝝ in ppetuum. Ideo qui ſeruiunt ſibi in ppetuum regnabũt. **Sap. vj.** Diligite iuſticiam vt in perpetuum regnetis. Et **Apoç. v.** Redemiſti nos i ſanguine tuo ⁊ feciſti nos deo nro regnũ. Quintũ eſt eterna remuneratio Multũ eni remunerat dñs ſuos ſuos **Gen. xv.** Ego ſum merces tua magna ni-

mis. Et **Sap. x.** Reddet de⁹ mercedẽ iuſtis labioꝝ ſuoꝝ. Que aut ſit illa merces ⁊ remuneratio oſtendit dñs **Eſa. lxxj.** Serui mei comedẽt. ⁊ vos eſurietis. Serui mei bibent vos ſitietis. Serui mei letabũt. ⁊ vos pfundemini. Ecce ſerui mei exultabunt p̄ exultationẽ cordis ⁊ vos clamabitis p̄ dolore cordis ⁊ p̄ trifticia vlulabitis. ⁊ diceres qualiter ſit deo ſeruiendum? Reſponde qđ ſeruiendũ ſit ei letãter Iux illud p̄s. Iubilate deo omnis terra ſeruite dño i leticia. Et hoc intelligit tam de illis qđ ſunt in triumphanti eccleſia qui fuiũt dño in leticia qđ de his qui ſunt in ſtatu merendi in militãti eccleſia. Quia de his qđ ſunt ex ſtatũ merendi videlz i purgatorio nõ intelligit. ⁊ hoc patz in exemplo. Cũ duo m̄gri vn⁹ doctor theologie repatriare deberẽt. in ſilua quadã errare ceperunt ⁊ ad viam directam venire nõ valuerunt. Et cũ nox appropinquaſſet dixit doctor. Magiſter oremus ſanctuz **Brandanũ** vt nos ad hoſpitiũ pducatur. Quod cum feciſſent viderunt cenobiũ cõſtructum. tunc obliti meroris accelerare ceperunt. Cum auteꝝ ad illud veniſſent viderunt abbatẽ ante cenobium eos expectãtẽ. Qui lete eos ſuſcepit. benignẽq; eos tractauit. ⁊ poſt dormitum conduxit. Conſuevit aut doctor ſurgere. ⁊ deo ſeruiendi horas ſuas legere. Qui audiẽs lamentabilem cantuz vadit videre cãtantes. ⁊ vidit i choro monachos diſtinctos dupliciter ⁊ diuiſos meſtos et lamentantes nihil aliud cantantes niſi. vt quid dere liquiſti me. Et cũ vnus chorus eadẽ verba finiuit. alter lamentabili voce incepit videlz ſb octauo tono. Doctor igitur magiſtruz excitauit. et ei lamentationem eorum monſtrauit. Et illi maxie ex tali auditu ſunt triftati. Mane autem facto doctor petijt abbatẽ vt ſineret eũ ſermonem facere fratribus. qui admiſit. Et ille puocat fratribus cepit dicere. Seruite domino in leticia. ⁊ longũ ſermonẽ fecit de p̄ſolatione. ⁊ quãto pl⁹ p̄ſolaret eos tanto magi triftabanẽ ⁊ reſceſſerũt vnus poſt aliũ nolẽtes audire ſermonẽ. finito ſmone ⁊ magiſtris bene tractatis valedixerũt abbati. qui p ſpaciũ ne moris eos p̄duxit. Tãdeꝝ doctor abbatẽ iterrogauit quare ita lamentabiliter cãtarẽt ⁊ nũqđ p̄ſolationẽ acciperent. dixit abbas. Domine doctor ſcitote hic fuiſſe cenobium ⁊ iam diu deſolatum. ſed propter merita **Brandani** oſenſum eſt vobis hodie ⁊ heri ſanctoꝝz ſuffragiũ ⁊ nos ſumus i penis acerbiffimis neſciẽtes qđ eribimus. P̄nc eſt qđ fratres non poſſunt conſolationẽ accipere nec audire ſicut ſtatim videtur experiẽtia. Qui cũ valedixiſſent abbati.

Dñica xx. p^r trinita.

et trāseuntes modicu3 spaciū ita q^d abbas vix
possit venire ad claustru3 audierit clamorē post
se. et respiciētes viderūt oīa edificia claustrī ca
dere et ī cinerē redigi et fumū horribilē ascēde
re aspererūt. Ideo vos qui adhuc estis ī statu
f merēdi fuite dñō ī leticia mētalī. Secūdo seruie
dum est deo discrete et prudēter. In quocunq3
enī hō deo fuit siue ī ieiunio siue ī vigilijs aut
abstinētijs et c. sp. debet ī lumine discretionis et
prudētie pcedere. Quia dīc apłus **Roma. xij.**
Ronabile sit obsequiū vestrū. Sūt aut nōnulli
q^d indiscrete deo fuit. et his frequēter accidit
q^d ipī inocētē crucifigūt q^d latronē crucifigere
debuerūt. videlz nouū crucifigētes q^d crucifi
gere veterē hoīez debuerūt. Nō ver^o intelligit
ex pētis cōposit^o velut ex mēbris. Nou^o ergo
tūc crucifigit qñ ppter nimīā abstinētiā virtu
tes opari nō pnt et hoc ē magna stulticia. Alia
stulticia hui^{us} indiscreti seruitij q^d ipī arma assu
mūt nimis pōderosa q^d pōderositāte eos deici
unt. et q^d debuerūt eos ab hoste ptegere poti^{us}
eos cadere faciūt sub hostib^{us} nō attēdētes qd
fecit **Dauid. i. Reg. xiiij.** qui arma **Saul** nimis
pōderosa deposuit. quibus depositis vicit **So
liā.** Sic aliqui vincerent diabolū cū mediocri
tate ieiunij. vigiliāz et alioz seruitioz dei. q^d
tamen ī iuuentute p iram vel impatientiā de
uincuntur. Tertia stulticia q^d cum ipī habeāt
dñm ditissimū et liberalissimū. credunt tamē
placere ei si seruīētes ipī adeo se fame affligāt
q^d impotentes ad seruīendū ei fiant. cuz tamē
sciant hoc non placere hominib^{us} paupib^{us} atq3
anarīs. etiaz de iumētis suis. Nullus enī vult
vt iumētū suū ieiunet q^d ei seruire non posset
Quarta stulticia q^d cū ipī multū velint deo ser
uire. ita tamē volunt seruire ei q^d nō possunt ei
diu seruire. de quo sapiēs. Quid stultius q^d q^d
libenter facias curare vt diu facere non possis
Ideo deo discrete et prudēter est seruīedū. Ter
tio seruīendū est deo pseueranter. sicut figura
tū ē **Gen. xxix. de Jacob** qui ait ad **Labā.** Ser
uiui **q^d p Rachel** septē annis. et sequitur q^d vi
deban^t ei dies pauci p amoris magnitudine.
Rachel iterptat visio. et significat illā beatam
visionē q^d videbim^{us} regem ī decore suo. **Esa.
xxxij.** Pro hac debet qlibet supplātor viti
ozū seruire deo toto tpe vite sue qd ī. vij. annis
includit. Ideo dīc **Aug^o.** Nulla vnq^{ue} seruū dei
nō dico dies. s3 nec hora iueniat sine exercitiij
labore. S3 ad hoc faciendū q^dttuoz sunt neces
saria. videlz bona opatio. iterna deuotio. san
cta cogitatio. et recta intētio. His q^dttuoz exer
citijs hō deuot^{us} totā vitam suā continuat. hec
Aug^o. Sed sunt qdā adeo inexpecti et inconsue

tū bello q^d si audiāt vociferātes hostes et supra
se venientes impetuose. et de seipsis videāt ali
quos vulnerari statim fugā arripiunt. q^d si ali
as audacter remanerent et ī acie certarent ho
stes triumphabiliter suparent. Similiter mo
raliter aliqui ī seruītio dei sunt adeo formido
losi siue timidi vt si temptationibus aut tribu
lationibus videant inimicos demones sup se
irruētes statim terga vertunt nesciētes ampli
us resumptis viribus ptra diabolū dimicare.
Nos aut nō sic. nā si aliquādo pcutiet diabol^{us}
peccati impetu vt ī nobis seriet charitatē. nō
debem^{us} terga vertere desperātes. Nā sepe hō
postq^d peccat vere penitēs de pctō pfectius fu
gat diabolū q^d ante pctū. i. figura. **ij. Reg. xj.**
Aū Joab obsedisset filios **Ammon** impetū fece
runt sup exercitū **Joab** et occiderunt **Uriam** et
quosdam alios. Et misit **Dauid** ad **Joab.** Nō
inquit deficias. quia varius ē cūctus belli for
titer dimicare. Ale vō finaliter pseuerans ob
tinuit victoriā et deuastauit ciuitatem hostium
et idola destruxit. Spirituali^{ter} p **Joab** qui dux
exercitus erat **Dauid** subaudi deo seruientē et
penitentē qui ē dux virtutū et bonaz operati
onū. hunc ergo ammonite vidētes. id ē. demo
nes pcutiunt **Uriā** qui interpretatur lumen vix
p quem notat charitas q^d multum lucet ī con
spectu dei. sicq3 hō ī seruītio dei si charitatez
nō habet. et secū pcutiunt ceterē vtutes vt nul
la remaneat sana charitate pculsa. qz dīc pro
sper de vita cōtemplatiua. Charitas ē vita vir
tutū et ē mors vitiōz. q. dī. Si charitas manet
vīua ceterē virtutes non occidunt. Ideo ille ī
quo ē charitas occisa cōfortatus a vō **Dauid**
xpo qui docet manus ad preliū armis resum
ptis penitētie dz diabolū et pctā ei^{us} supare. et
idola et ciuitatē destruere. qz deuicto diabolo
oīs ei^{us} munitio et praua ei^{us} suggestio euāescit
ideo nō debem^{us} ī seruītio dei deficere. qz dīc
Aug^o cōtra hereses circa pncipium. Donauit
certādī victoriā q^d certādī dedit audaciā. Nō g^o
nos super hostiū turba. nō bellantium forma.
Soliā maguū et robustū. armis terribilē ingen
ti turba munitū **Dauid** sol^{us} paruus iuteremī.
vno lapidis ictu vicit atq3 pstravit. totaq3 phi
listinorū castra turbauit atq3 fugauit. q. d. Si
cut **Soliā** virtute dei **Dauid** prostravit q^d figu
ra fuit diaboli. sic et nos ipm possumus supe
rare. et ab ei^{us} dominio nos separe. Et nota si
diabolus tanq^d dñs possidet hoīem et videt q^d
hō ab ei^{us} dominio vult elōgari statim ardēt^{er}
videt ipm impugnare et exterminare. qd pbat
ī fili. Tyrānus q^d possidet iniuste aliquā ciuita
tē sp illā timet pdere. ideo cum aliq^{ue} scit fieri

tractatū a ciuib⁹ stati illos quos suspicat pol-
se sibi tollere ciuitatē exēminat et dispdit. **Mo-**
ralit⁹ diabol⁹ ē tyrān⁹ q̄ sua tyrannide possidet
aīaz pctōis q̄ tñ de iure ē tēplū xpī saluatoris
Iux illud **Ezech. xviij.** Dēs aīe mee sunt. ideo
qñ videt sc̄as inspiratiōes et vba dei libēter ī
aīa audiri mox conat exterminare pncipalio-
res aīe ciues quos suspicat aīaz sibi posse sur-
ripe et xpo cui⁹ erat reddere. Et hī ciues sūt me-
morā. itelligētia. et sic d̄ alijs. Nā memoriā ex-
cludit a xpī passiōe et eā exultare facit p huius
mūdi caduca. **Intelligētia** phibet cōtemplari
supna. et eā iducit ad meditari supba. **Volūta-**
tē elenat ab amore diuino et ipaz suadet amare
pecuniā. Et sic his exterminat ciuib⁹ diabol⁹
aīaz detinet captiuā. **figura** **Exo. v.** Cū **Mo-**
yses pmo pplm d̄ egypti exitu induxisset **pha-**
rao statim pplm p egyptū dispit et ad lutuz et
ad paleas colligēdas coegit. **Per pharaonē** ī
telligit diabol⁹. qz interpretat nudauit virū. qd
recte puenit diabolo q̄ hoīez p̄mū glia et stola
imortalitatē nudauit sic ipse p̄q̄rebat **Job. xix.**
Spoliāuit me glia mea. et abstulit coronā d̄ ca-
pite meo. **Sz p Moysen** subaudi p̄dicatorem
pplm xpianū inducētē ab exitu pcti qd̄ intelli-
git p egyptū. **Diabol⁹** vō hoc sentiēs dispgit
illū p varioz mēoriā et pōpaz p̄tēplatiōez. p
diuitiarūqz amorē p hui⁹ mūdi tenebras. vt sic
maneat ī pctis. **Jo dīc Greg. x.** moral. atiqu⁹
hostiex p̄pō certamie dū se succūbere p̄siderat
ad alia tēptationū bella restaurat. **Intuet hūa**
nī generi vnus cuiusqz mores cui vitio sūt p̄pī-
qozes. et illa ponit an facie ad q̄ citi⁹ nouit icli-
nari mētē. **Adīrco** cū talī dño imo crudeli ty-
rāno nō d̄z fūire hō. sz se excutere ab ei⁹ domi-
nij iugo fūireqz dño iesu xpo vt tādē possit cuz
eo viuere ī regno etno. ad qd̄ nos pducatur et.

De eadem dñica. Sermo secundus.

Nemo pōt duo
bus dñis fūire. **Mat. xvi. 5.** **Exp̄ien-**
tia docuit atqz docet q̄ gētes diuersoz morū
bitare sil nō pnt. qz qd̄. s. vni placz alteri disp̄li-
cet. **Jo** cū xps q̄ erat iude⁹ pctisset aquā a sama-
ritana dixit illi **Job. iiii.** Quō tu cū sis iudeus
bibere posses a me. qz sum mulier samaritana
nō enī cōicant iudei samaritanis. **Moraliter**
aīa fidel⁹ q̄ data ē xpī fūitio sil cū diabolo hita-
re nō pōt. qz sunt iter se diuersoz morz et con-
trarioz. Nā aīa ex iformatiōe xpī diligit cha-
ritatē. sectat hūilitatē et ondit mititatē. **Iux il-**
lud **Mat. xi.** **Disce** a me o vos aīe vicz miti-
tatē et hūilitatē. qz mitis sū et hūilis corde. **Sz**

diabol⁹ ecōuerso diligit inuidiā et sectat supbiā
sicut testat **Bonaue.** ī sc̄pto sup. ij. senten. q. j.
Mēs diaboli q̄ ē pncipalr duob⁹ vitijs obses-
sa. s. supbia et inuidia vidēs hoīez ī statu ī quo
pōt cadere sub diabolica p̄tate et ī quo pote-
rat ascēdere ad supnā felicitatē a q̄ ipse cecide-
rat ex supbia mor⁹ ē ex inuidia ad ipm tēptan-
dū. **Ex** supbia nāqz vt eū sibi subijceret. **Ex** in-
uidia vō vt a supna felicitate impediret. **Sup-**
bia enī fuit sicut mouēs p̄mū. **Inuidia** sicut
mouēs p̄ximū. **Esto** enī q̄ nō posset dñari sup
hoīez. adhuc studuisset ipsuz a padisi gaudijs
impedire. **Ex** quo dicto p̄t̄z q̄ diabol⁹ diligit
inuidiā et sectat supbiā. **Ideo** aīa fidelis nūq̄ ē
ī pace cū diabolo habitādo et ei fūiendo. **Sed**
seruies xpo hñ erit ī pace. **Iux illud ps.** **In** pa-
ce ī idipsum dormiā et requiescā. **Debet** ḡ dia-
bolū totaliter deferere. et se inquātū pōt ab eo
eiusqz seruicio elongare si vult xpo ī pace ser-
uire. qz nemo p̄t duob⁹ dñis fūire. videlz xpo
et diabolo vt dicūt vba p̄assumpta. **In** p̄nti euā-
gelio pncipalit⁹ duo facit. **Primo** ipossibilitatē
fuitutē p̄trarioz dñoz. ibi nemo pōt duob⁹.
Scdo dissuadet sollicitudinē nimīa terrenoz.
ibi. **Jo** ne sol. **Circa** p̄mū uotandū **Uin.** ī spe.
histo. li. ij. c. lviij. dīc. **In** duob⁹ filiis **Adē** cha-
yn et abel ortū habuerūt due ciuitates fm aug.
Una sc̄toz q̄ pegrinat ī terrī et hitatiōez expe-
ctat ī celis. hec ē hierl̄m celestis. **Altera** repro-
boz q̄ hitatiōez suā h̄z h̄. spem vō futuroz
nō habēs. **Hec** ē babilon spūalis. hec ille. **Et**
sicut sunt due ciuitates. ita sūt et duo dñi atqz
reges. **Sanctorum** domin⁹ et electoz est de⁹.
Dñs vō reproboz ē diabolus q̄ est rex super
oēs filios superbie. **Job. xli.** **Alis** dñis nemo
potest simul seruire. qz sunt contrarij. **Nā** de⁹
p̄cipit humilitatē. diabolus vō elationez. q̄re
seruiendū est deo. p cui⁹ humilitatē puenitur
ad regnū. **Quod** fm **Aureliū** ī li. fontis vite ē
plenū claritatis lucis. sapiētie et glorie et bone
statis. dulcedinis et melodie et leticie p̄p̄nis
et omnis boni ineffabilis quod nec dīcī nec co-
gitari potest. **Ecōtra** vō diabolo non est serui-
endū. qz seruientes sibi male remunerat eo q̄
omnib⁹ bonis eos p̄uat. **Qd̄** pbat ī simili. **Nā**
crudelis dñs et tyrānus victa et capta ciuitate
vī ipsam destruit munitionibus ne amplius re-
sistere valeat. et sic p̄stratā dimittit vt nō ad re-
sistendū sed ad patiendū sit apta. **Moralit⁹** di-
abolus est ille crudelissimus dñs et hostis imo
et tyrān⁹. **Sed** ciuitas est anima cuiuslibet ho-
minis p̄tra quā si diabolus pōt habere victo-
riā capiēdo ipsam p peccatū homo fit seruus
eius. **Quo** facto diabol⁹ tanq̄ dñs ad animaz
intrat. et omnes virtutes exterminat. **Et** hoc